

tus perlegerit, serioque perpenderit. *PUBL.* Plurimum hæc sapiunt præ omnibus Veterum commentis in hoc uno concordibus, quod nullibi sese inter conveniant. Nec putem, dubia, quæ singularibus Viri perspicacissimi meditationibus objici, & injici forsitan possent, ut nihil est fere disceptationi nulli obnoxium, tanta tamen fore, quæ vel ipse, vel quicum ipso consentit, non facile dissolvat.

DIALOGUS XVIII.

De nonnullis Jovis nominibus & imaginibus peregrinis.

TULLIUS.

I.
 Libr. I.
 c. I. §. 10.

OMnipotens hic Pater hominumque Deumque, suis fabulis adeo decantatus est inter omnes, ut verbum de eo ex antiquis repetere coram te, nil nisi oleum perdere censeam. Sensum vero Domini *Pluche* non inutiliter ex me audies. Advertit ille: Primos Aegyptios, vero æternoque Deo religiose obsequentes, quoties ejus imaginem exhibere debuerant ad plebis commotionem, pro eo, sapientissima electione, substituisse Solem, tanquam corpus omnium speciosissimum, quod nil esset, ut nostro quidem oculo substat, nisi Splendor & Lux, viresque suas, ac beneficentiam, collustrando, & vivificando omnia, universum in mundum diffunderet. Hunc porro pro modo, quo eum cernimus, orbiculari forma, nunc plana, nunc radios undique diffundente, pinxerunt. Et, ut vitam exprimerent, quia Deus, & Sol animant omnia, addiderunt huic orbi unum, duosve Serpentes, eum quasi stipantes: nam *Hava*, vel *Heve*, denotabat pariter *Serpentem*, & *Vitam*. Inde Nomina,

Jov

Jov, *Jehov*, *Jehova*, i. e. *Vivens Author Vita* : hinc *Eva Mater* viventium : hinc etiam tractum est *Aevum*, seu *Vita*.

Hujusmodi Orbe cum Serpentibus, in vetustissimis, quæ II.
superfunt, monumentis Aegyptiorum nihil frequentius. Utebantur vero & alia Dei figura, nempe Sceptro, quod erat hasta pura, ut esset Regiminis index. Solis loco eidem Oculum imponebant, cuncta intuentem : baculo implicabant Serpentem, symbolum vitæ. Erant hæc prima, & simplicissima Signa, Quoniam vero Populo plura simul fuerant significanda, tum quæ ad Religionem, & Festa, tum quæ ad Oeconomiam attinerent : excogitata est integra hominis figura, cui varia Symbola, pro varietate significandorum, nunc addi. nunc demi, vel commutari cum aliis possent. Hinc *Osiris* prodiit, cujus Nomen ab *Osciores* ductum, quo Dominus Terræ denotabatur.

Hunc pingebant specie Viri capite radiante, cujus omne corpus III.
fasciabat quodammodo Serpens, spatii intermediis Zodiaci signa exhibentibus : vel, si Serpens a corpore abesset, addito Sceptro serpentino. Injungebatur præterea capiti cornu Bovinum, aut Arietinum, ob animalium fecunditatem. Qua figura designabant Solem, & in Sole Deum, anno toto cuncta vivificantem. Quando festa mortuorum denuncianda erant, *Osiris* in capite gestabat modium, quia tunc triticum pauperibus dispensabatur. Nam omnium vetustissimarum Gentium consensu, ac consuetudine, quam & Hebrei retinuerant, quotannis mortui flebantur. Quando indicari debuit annum tempus, quo Phœnicii ad fruges emendas mari advenire soliti erant, Sceptri Serpentina loco pingebatur harpago navalis.

Ex hac porro figura, in Idolum postea transeunte, nati IV.
sunt, *Jupiter*, *Neptunus*, & *Pluto*, *Apollo*, & *Aesculapius*. Unde non male cogitavit *Macrobius*, ajens, hos, pluresque alios Deos, unicum Solem redhibere. Sed ignoravit primam Ideam, juxta quam picta, & ficta sunt Numina ista, fuisse apud primos Aegyptios Imaginem veri Dei Viventis. Inspice jam Numum decimum octavum Tabulæ III^{tiæ}. eumque recense. PUBL. VI. TAB.III.
deo in eo Protomen barbatam, radiatam, atque cornutam : ante faciem ejus baculum, cui Serpens implexus. Hinc, & inde literas : L. Δ. N. XVIIII.

V. *TULL.* Ecce *Osiris* Aegyptius, alio nomine dictus *Jupiter Hammon*, & *Corniger* apud Poëtas. Protulit hunc æris medii Numum Cl. *Patinus* Imp. p. 199. *M. Aurelio* signatum a *Mytilenæis* *Lybiæ*: qua in Provincia *Jupiter Hammon* peculiariter colebatur, inde a *Dyonisio Periegete*, & *Lucano*, dictus *Lybicus Deus*. Literæ L. Δ. Epocham continent, græcaque computo designant *Annum quartum*. Huic Deo Græci, ut habet *Festus*, cum ejus idolum sub arena repertum existimarent, idem Nomen ἀμμῶν, quod *Arenam* denotat, imposuerunt, *Ammon*, vel cum aspiratione, *Hammon* eundem appellantes. Cornu eidem additum comminiscabatur, quod inter pecora cornuta pascentia sit inventus.

Libr. I. *Macrobius* aliter argutus, ait: „ *Ammonem*, quem Deum Solem occidentem *Lybienses* existimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet, sicut radiis Sol. „ Vide, in quæ mendacia etiam sapientiores inducantur, dum, quod maxime ignorant, sapere nihilominus volunt. Vera, juxta *Dominum Pluche*, Nominis *Ammon* origo erat a *Chamo*, quem posteriores Aegyptii, idololatria jam dementati sub *Osiris* primi figura innocenti, adorare cœperunt, *Theben* Urbem, quam potissimum habitaverat, *No-Ammon*, aut *Ammon-no*, i. e. *Sedem Ammonis* compellantes, postea *Diospolim*, seu *Civitatem Dei* nuncupatam. De quo pariter Reverendiss. *Calmet* in *Dictionar. Bibl.* voce *Thebae* disseruit.

Libr. I. cap. II. §. 2.

VI. *PUBL.* Qui proximus est Numus decimus nonus, *Jovem* *Hammonem* in tabula quadrata, intra orbem, longe simplicius representat, solo se cornu capitis prodentem absque radiis, modio, & scepto: nisi forsitan ipse orbis, quo includitur, esset Solaris. In quatuor Tabulæ angulis has literas lego: B. A. P. K. *TULL.* Hunc tibi Numum ex Ill. *Spanhemio* selegi, ubi existat Tom. I. p. 296. Literæ sic legendæ: *BARK. a*, vel *Barce*. Urbs nimirum in Pentapoli *Cyrenes*, postea *Ptolemæis* appellata. In *Averfa* pingitur *Silphium*, planta nobilissima, illique Regioni præ cæteris peculiaris. Illustrationi adducitur *Hesybii* Grammatici *Alexandrini* locus græcus, latine ita sonans. „ *BATTI SILPHIUM*: „ Proverbium de iis, qui inusitados honores reperiunt. Transfertur vero a *Cyrenæis*, qui *Battiadis* obtulerunt insigne illud *Silphium*: quod apud eos tanto in pretio est, ut in eorum Numis-

In Lexico.

„ mismate , hinc quidem *Ammonem* , illinc vero *Silphium* incu-
 „ derint. „ Atque hujus modi Numos plures diversæ magnitu-
 „ dinis apud *Spanhemium* eodem loco videre licebit.

Urbs *Terracina* Italiae , in tractu Campaniæ , vetustis tem-
 poribus *Anxur* dicta , colebat *Jovem* quasi Puerum , qui *Anxurus*
 appellabatur , quasi *Aëvèds* . i. e. *sine novacula* , scilicet intonsus.
 Putabatur hic comparere in Denario Gentis *Vibia* apud *Patinum*
 p. 293. In cujus Adversa est caput barbatum , addito Nomine :
 PANSA. In Aversa sedet Juvenis , capite radiante , dextra ex-
 tenta , cum hasta. Epigraphæ . JOVIS AXUR. C. VIBIUS
 C. F. C. N. Sed *Cl. Harduinus* , cum *Jovis* nominativo casu re-
 cte dictum tolerare non posset , de quo inferius iterum sermo
 recurret , non *Jovem* , sed *Apollinem* hic agnoscit , licet re ipsa
 duorum Nominum unum Deum. Apollinares igitur Ludos , ac
 Decemviros eorum Curatores cogitans , hanc sententiam fabrica-
 vit: I. mperator O. ptimus V. espastanus J. ovis S. acerdotia A. mpliavit
 XV. iris R. estitutis. Reperit hoc pacto mysterium , quod nemo
 quæsierat , & *Vespasiano* decus novum sua fide asseruit.

Elei sacrificabant *Jovi Muscario* , græce *Apomyo* , exemplo Her-
 culis , qui sacra in Olympia faciens , muscisque vehementer ve-
 xatus , hoc sub elogio rem Jovi fecit , tam presenti Numinis ope , ut
 muscæ illico trans *Alpheum* fluvium avolarent. PUBL. Haud multo
 nobilius assurgit *Jovis Muscarii* praeconium , ac illud saturni sterculii
 de quo supra mihi dixeras. Forte autem , qui Tabulam tuam
 claudit , Numus vicesimus æque vilis est , ac absurdus. Nihil in eo vi-
 deo , nisi Templum , sub quo vel Petra , vel Mons integer : apici Tem-
 pli Aquila infidet. Cætera græcanica , etsi legero , non intelligam.

TULL. Vulgarunt hunc Numum , diversi moduli , licet
 utrinque æris medii *Cl. Patinus* p. 143. & Eruditiss. *Liebe* Goth.
 Num. p. 308. Lineas meas duxi ex posteriore. Adversa caput
 laureatum *Trajani* , & elogia refert ΑΥΤΟΚΡ. ΑΥΓΑΣΤΑΙΣ. ΑΡ ΝΕΡ. ΕΑ ΤΡΑ-
 ΙΑΝΟΣ ΑΡΙΣΤ. ϙ ΣΕΒ. ΑΣ ϙ : Γ. ΕΡΜΑΔΙΝΟϙ . i. e. *Imperator Caesar Nerva*
Trajanus Optimus Augustus Germanicus In Aversa Nomen Dei scri-
 bitur infra : ΕΣΥΣ ΚΑΙΟΣ : *Jupiter Castus*. Circum legitur : ΓΕ-
 ΛΕΥΚΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ. Α. i. e. *Seleucensium Pieriae*. Anno Quarto. Nem-
 pe , ut , juxta *Maximum* , *Lybiensibus* , & *Cappadocibus* , ita
Seleucensibus pariter , Mons apud eos *Castus* , & *Deus* , & jusju-

VII.

VIII.
 Pausa-
 nias in E-
 liac.
 TAB. III.
 N. XX.

IX.

Dissertat.
 XXVIII.

randum, & *Statua* erat. Aequae enim eisdem, ac Romanis, maximum omnium iuramentum per *Jovem Lapidem*, solemne fuit. Recolebant nempe, pro *Jove* infante mox nato, matrem *Rheam* porrexisse *Saturno* Patri *Lapidem*: qui devoratus, eundem impotentem fecit. Unde & sibi, si fallerent, iram *Jovis* imprecabantur.

X. Plures porro *Seleucia* fuerant, quarum duae *Casium Jovem* adorabant. Hic laudantur *Seleucienses Pieriae*, non *Pelusii*. *Jovi* *Pierio* dona insignia; quasi primitias *Victoriae Geticae*, submittere *Trajanum*, testimonio *Suidae* addiscimus. Sunt autem apud *Ill. Spanhemium* I. p. 431. alii *Seleuciensium Pieriae Numi*: in quibus *Jupiter Ceraunius*, i. e. *Fulminator*, non *Casius*, exhibetur, neque imagine *Lapidis*, aut *Montis* proponitur, sed *Fulmine*, super aram cubante, indicatur. Perge sis adhuc ad *Tabulam IV.* tam ut *Jovis* peregrina quaedam *Nomina*, quorum plurima quidem superessent, ulterius discas.

XI. *PUBL.* Primus hic *Numus* prorsus exoticus videtur. Quid enim in hoc *Sene* alato cogitem, cujus capilli, barba, & brachia extenta, in meras, ut arbitror, pluvias defluunt? subscribitur: ΖΥΥΟ ΟΜΒΡΙΟΟ: quod si intelligerem, novum forte *Jovis* praekonium demirarer. *TULL.* Non est hic *Numus* aliquando ita signatus: libuit vero mihi, *Jovem Pluvium* ad lineas imaginis, quam *Celeberr.* *Montfoconius* ex *Columna M. Aurelii*, *Romae* superflite, excepit, in forma *Numi* tibi exhibere. Qui ait, stare inferius *Milites*, imbrem largum in *clypeorum* concavo avidè excipientes: tum nempe, quando hic *Imperator*, cum exercitu suo, a *Marcomannis* in deserto conclusus, perire siti cum suis debuerat, nisi *Christianae Legionis* precibus placatus *Deus*, uberimam *pluviam* submitisset.

XII. Quod ergo verus *Deus* praestitit, *Jovi Pluvio* in acceptis ferretur: quem *Romani*, *Graecique*, hoc titulo implorarunt, quoties eisdem longiori siccitate aeris affligi, cum detrimento frugum, contingeret. Hoc de *Jove D. Boysen* in *Acerr. Nov. Philolog.* more suo pererudite capite integro egit. Imputabatur scilicet imbrum defectus nimium segniter acto vel plane neglecto *Jovis Pluvii* cultui, moxque supplicatio publica fiebat, maxime per mulieres, passis crinibus, nudisque pedibus incedentes,

& obsecrantes , ut *Jupiter aquam faceret* , vel *imbre descenderet*. Ejus imago profluxit a Signo *Nili Aegyptio*. Quapropter & *Pindarus*, observante ejusdem veteri Scholiaste , Nilum *Jovem* dixit : & *Parmeno* disertius *Jovem Aegyptium*. Porro *Tibullus* hoc flumen ita compellabat :

Libr.
I. Eleg.
VIII. v.
26.

Te propter , nullos tellus tua postulat imbres ,
Arida nec *Pluvio* supplicat herba *Jovi*.

PUBL. Pari sum ignorantia circa Numum secundum : in quo , duas inter arbores altas , quarum cuilibet avis insidet , stat figura vittata , & palliata toto corpore , manibus quoque , sibi superpositis ante pectus , contextis. *TULL.* Peculiarem hunc *Septimii Severi* Numum exhibuit *Ill. Spanhemius* I. p. 626. qui & consimiles reperiri dicit cum *Caracallæ* , & *Gordiani Pii* capitibus. Epigraphe est : ΑΛΙΚΑΡΝΑΓΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ : i. e. *Halicarnassensium Metropolitanarum*. Inde vero solam Urbem , quæ hunc Numum signavit , addiscimus , *Halicarnassum* scilicet olim celeberrimam , quia *Metropolim* in *Asia minori* *Provincia Natoliæ* : quæ *Herodoti* , itemque *Dionysii Halicarnassæi* Patria fuit , & *Artemesiæ Mausoleo* , septem inter miracula computo , notissima erat ; hodie *Vicus* exiguus est , *Levante* appellatus. Imaginis autem ratio aliunde petenda.

XIII.
TAB. IV
N. II.

Adstat nempe hic *Jupiter Dodoneus* , nisi verius ejusdem Sacerdos *Fœminea* vaticina. Arbores deberent esse *Quercus* , & Aves insidentes *Columbæ*. Finxerunt quippe , *Jovem* filia suæ , cui *Hebæ* nomen erat , par *Columbarum* donasse , quibus loqui datum erat. Quæ cum libere emitterentur , unam earum ad sylvam quercineam , proxime *Dodonam* , Urbem *Epyri* *Provincia Molossidis* , evolasse , & supra *Quercum* confedissee ; quam arborem , dum quidam succidere vellet , a *Columba* , ne id faceret , commonitum esse. Alteram tetendisse in *Lybiam* , ibique supra caput *Arietis* , in arena pascentis , conquiscentem demandasse , ut , quemadmodum *Dodone* factum , ita & hic *Jovi* Templum exstrueretur. Utroque porro in loco Oracula exinde cepta esse : *Jovi* autem , hic *Dodonei* , illinc in *Lybia* cognomen *Ammonis* enatum esse. Alii hanc fabulam aliter texuerunt mentiundo invicem æmulati. Qui clavim se reperisse jactarunt ,

XIV.

ajebant, fuisse *Dodona* non *Columbam*, sed *Fœminam* vaticinam quia *πλάα*, vox græca, *Fœminam* æque, ac *Columbam*, significat.

XV. *PUBL.* Numi tertii figura quam iterum lepida! Vir pi-
 TAB.IV. leatus, togatus, ac palliatus, dextra malleum, aut securim hu-
 N. III. mero gestans læva telum inversum ante se sustinet. !Anne & hic Jupi-
 terlatet? *TULL.* Omnino: *Militaris* nimirum, & *Labradensis*, apud
Cariam in *Lydia* cultus. Atque hunc, juxta Ill *Spanhemium*
 I. p. 518. ære suo extulerunt *Cariæ* Reguli, *Hecatomnus* Pater,
 filiique, *Maussolus*, *Idrius*, & *Pixodarus*, quorum Numos ipse
 exhibuit. Hic præfens formæ mediæ, in Adversa capite *Apol-
 linis* juvenis nitet. Aversæ nomen est: *ΙΔΡΙΕΩΣ*: i. e. *Idrius*.
 Part. I. Originem hujus Numinis *Montsoconius*, apud quem pariter Pa-
 Tab.XII. tris *Hecatomni* Numus æreus magnus depingitur, ex *Plutarcho* hanc
 n. 16, retulit.

Postquam ab *Hercule* devicta est *Hyppolita* Amazon, *Securim*
 XVI. ejusdem *Omphale* donavit, adeo deinceps charam, ut eam *Ly-
 Plutarch. dia* Reges loco *Sceptri* sua manu deferrent. *Candaulus* autem Rex
 Quæst. indignum hoc ratus majestate sua, hanc *Securim*, suo malo,
 Græc. clientum alicui deferendam commisit: nam postea integre a *Ca-
 302. riiis* devictus est. Victores porro nobilem hanc prædam, tan-
 quam *Regium* insigne, novæ *Jovis* Imagini, summi honoris cau-
 sa, in manus dederunt. Et quoniam *Lydia* lingua *Securis* ap-
 pellabatur *λαβρω*: Deum suum ab *Hasta Militarem*, & a *Securi*
Labradensem appellarunt. Festivum interim est, quod *Athencus* de
 Diphno- *Cariis* *Mylasensibus* narravit. *Stratonicum* nempe *Cytharædum*
 foph. L. ad eos, ostentandæ artis causa, delatum, cum *Templa* multa, ho-
 VIII. mines paucos vidisset, medio in foro exclamasse: *Audite Tem-
 pla.*

